



CAPUT XII.

De Fuga Familiaritatis Laicorum.

Nolite transfire de domo in domum. *Luc. 10.* Noluit Christus Discipulos suos & Prædictores per domos circumcursare, sine necessitate cum Laicis conversari, aut illis familiares se reddere, sed à populo, segregatos, & quantum officij ratio permittit, à sacerdotali consortio abstrahitos vivere: *Primo*, quia per hanc segregationem multa declinant peccatorum pericula. *Secundo*, quia sic aptiores redundunt.

duntur ad orandum & contemplandum , propter quod & ipsum Christum s̄epe legimus in loca ab hominibus separata abivisse , quando Patrem suum cælestem orare volebat. *Tertio* , quia per ejusmodi segregacionem conservant sibi tempus quod per crebras cum Laicis conversationes s̄epe inutiliter consumitur. *Quartò* , quia hac ratione sibi auctoritatem conciliant & venerationem : sicut enim familiaritas contemptum parit , ita solitudo reverentiam & authoritatem. **Unde S. Gregorius :** *Egressus Samuelis expectetur ; quia viri sancti in secreto silentij sui venerandi sunt : Raro videbatur in civitate , tardè veniens,*

niens, citò recedens: Quo magisterio S. Ecclesiae Doctor instruitur, ut raro sit in publico, frequens in occulto; ut quo tardius aspicitur, diutius veneretur. Atque his de causis Celsissimus ac reverendissimus Noster in suo Decreto jam supra memorato statuit, ut sui Clerici Sæcularium familiaritatem quandoque nocivam devitent, & ne Alumni in Seminario vel extra illud ipsum in urbe cum sæcularibus cœnent aut prandeant, vel aliter (nisi quantum summa necessitas ac Superiores voluerint) conversentur. Et quidem si Parochus eo, quo supra diximus, modo tempus suum ita distribuat, ut cuilibet horæ certa sua respondeat functio, nullum ei tempus con-

conversandi inutiliter cum Lai-
cis supererit, & functionum pul-
chro sibi ordine succendentium
alternatio omne temporis & la-
boris fastidium ita tollet, ut non
solum occasionem conversatio-
nis non sit expetitus, verum
etiam si haec adfuerit, ægrè & in-
vito animo illâ sit usurus, media-
qùe ab importuno se hospite li-
berandi indagaturus. Quale me-
dium suggerit S. Franciscus Xa-
verius, cùm monet, ut quis cum
tali, per quem se in solitis suis ex-
ercitijs prævidet impediendum,
sermonem de rebus divinis & sa-
lutem concernentibus instituat:
quo si alter delectetur, habet jam
aliquem laboris & conversatio-
nis suæ fructum: si verò alter in-

vi-

vitus de ejusmodi spiritualibus sermonem audiat, haud diu auseculabit, sed brevi discedet, relinquens ei tempus pro suis functionibus ordinarijs constitutum, nec tam facile revertetur.

CAPUT XIII.

De Meditatione.

Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijsem in humilitate mea, Psal. 118. Significat his verbis Psalmista necessitatem Meditationis sive Orationis Mentalis: quæ necessitas quamvis in omnibus DEO servire volentibus, imprimis tamen in animarum Pastore reperitur